

CLXXVIII.

FESULANA

Ad humillimas preces moderni Episcopi Fesulani exponentis infrascriptas quinque Ecclesias ejusdem respectivae Civitatis Dioecesis et Residentiae, amplissimis jam insignitas esse Indulgentiis, documentum vero hujusmodi concessionum, praeter nonnullas vetustissimas in quodam lapide, aliquibusque foliis adnotationes non inveniri, ideoque supplicantis vel ipsas antiquas confirmari, vel alias de novo concedi; Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV eundem Episcopum speciali favore prosequi volens, servata coeteroquin aeconomicae Indulgentiarum dispensationis moderatione, nec non hodierna laudabili Ecclesiae disciplina, ac praevia in iisdem quinque Ecclesiis assertarum veterum et quarumcumque aliarum Indulgentiarum revocatione die 2 Julii 1749 per praesentes litteras in perpetuum valitura.

Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus, confessis, ac S. Communionem reffectis, qui Ecclesiam S. Mariae in Campo nuncupatae in festivitibus Annunciationis et Assumptionis B. M. V. Immaculatae, a primis vespers usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi, nec non in primo vel ultimo die Novenae Nativitatis Dominicae, et una feria sexta Quadragesimae per Ordinarium semel designanda; atque in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ab ortu usque ad occasum solis dierum vel feriae hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam. Iis vero eadem peragentibus, ac ut supra orantibus in festivitibus Conceptionis, Purificationis, Visitationis, Nativitatis et Praesentationis ejusdem B. M. V. ac SS. Josephi, Joachim, Annae, Romuli Episcopi et Martyris, et Julii Martyris Senatoris Romani, nec non in aliis septem diebus Novenae Dominicae, coeterisque feriis sextis Quadragesimae, ac reliquis diebus Octidui omnium Fidelium Defunctorum, septem annorum, totidem-

que Quadragenarum. Omnibus etiam et singulis utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, qui Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, occasione Communionis Generalis semel in mense peragenda in eadem Ecclesia sumpserint, ibique ut supra oraverint, in una festivitate, vel die unius mensis quotannis Episcopi arbitrio designanda, Plenariam; in alia vero festivitate, vel die singulorum reliquorum undecim mensium ut supra eligenda septem annorum, totidemque Quadragenarum. Ipsis autem Christifidelibus, saltem corde contritis, qui diebus Stationum juxta ritum Missalis Romani, eandem Ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium oraverint, easdem Indulgentias, quas consequerentur, si iisdem diebus Ecclesias Stationum Urbis vel extra illius muros existentes visitarent. Iis etiam saltem corde contritis, qui expositioni Venerabilis in Solemnitate Ascensionis Dominicae et singulis diebus usque ad pervigilium Pentecostes inclusive immediate sequentibus devote interfuerint, ac oraverint, qua die id egerint, centum dierum, et quotiescumque praedictam Ecclesiam visitaverint, ibique ut supra oraverint, toties trium annorum totidemque Quadragenarum semel in die per unumquemque lucrificandam. Insuper Privilegium Altari per Ordinarium semel designando in Octiduo omnium Fidelium Defunctorum ac in sex cujuslibet hebdomadae diebus ab Ordinario pariter eligendis.

Universis pariter et singulis Christifidelibus vere poenitentibus, confessis et S. Communionem reffectis qui Ecclesiam Cathedralis Fesulanam in festivitibus S. Josephi, S. Romuli Episcopi et Martyris et Dedicacionis ejusdem Ecclesiae a primis vespers usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi, nec non in primo et ultimo die Novenae Nativitatis Dominicae, et una feria sexta per Ordinarium semel designanda, atque in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ab ortu usque ad occasum solis dierum vel feriae hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique ut praefertur oraverint, Plenariam. Iis vero eadem peragentibus, ac ut supra orantibus in festivitibus Nativitatis S. Joannis Baptistae, SS. Joachim et Annae ac S. An-

dreae Corsini, et Donati ejusdem Ecclesiae Episcoporum, nec non in aliis septem diebus Novenae Dominicae, coeterisque feriis sextis Quadragesimae, ac reliquis diebus Octidui omnium Fidelium Defunctorum, septem annorum totidemque Quadragesimarum. Omnibus etiam et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, qui Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum occasione Communionis generalis semel in mense peragenda in eadem Ecclesia sumpserint, ibique ut supra oraverint, in una festivitate, vel die unius mensis quotannis Episcopi arbitrio designanda, Plenariam; in alia vero festivitate vel die singulorum reliquorum undecim mensium ut supra eligenda septem annorum totidemque Quadragenarum. Similiter confessis ac S. Communione reffectis, qui Expositioni Venerabilis occasione Exercitii Bonae Mortis in una festivitate vel die cujuslibet mensis, semel per Ordinarium designanda in praefata Ecclesia faciendae interfuerint, ibique ut supra oraverint, in una festivitate, vel die unius mensis per Ordinarium eligenda Plenariam, in aliis vero singulis undecim festivitibus vel diebus septem annorum totidemque Quadragenarum. Iisdem Christifidelibus saltem corde contritis, qui diebus Stationum juxta ritum Missalis Romani eandem Ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium oraverint, easdem Indulgentias, quas consequerentur, si iisdem diebus Ecclesias Stationum Urbis, vel extra illius muros existentes, visitarent, et quotiescumque Altare in quo corpus praedicti S. Romuli colitur in ipsa Ecclesia situm visitaverint, ibique ut supra oraverint, quadraginta dierum semel in die per unumquemque lucrificendam.

Omnibus item Christifidelibus vere poenitentibus, confessis et S. Communione reffectis qui Ecclesiam Sanctae Mariae *Primeranae* nuncupat. in festivitibus Purificationis et Assumptionis B. M. V. Immaculatae a primis vespere usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi visitaverint, ibique ut praefertur oraverint, Plenariam, qui vero in festivitibus Annunciationis, Visitationis, Nativitatis, Praesentationis, et Conceptionis ejusdem B. M. V. eadem peregerint, septem annorum et totidem Quadragenarum.

Cunctis similiter Christifidelibus praefata opera pia peragentibus, ac, Ecclesiam S. Alexandri Episcopi Fesulani et Martyris in festivitate ejusdem S. Alexandri et in solemnitate omnium Sanctorum visitaverint a primis vespere usque ad occasum solis festivitatis et solemnitatis hujusmodi Plenariam, et qui dictam Confessionem et Communionem ac visitationem in festo S. Marci Evangelistae peregerint septem annorum et totidem Quadragenarum Indulgentiam.

Universis quoque et singulis Christifidelibus vere poenitentibus confessis, ac S. Communione reffectis qui Ecclesiam Abbatialem et Parochialem S. Bartholomaei alias Cathedralem, Canonico Regularium Lateranensium in festivitibus ejusdem S. Bartholomaei Apostoli et in Dominica tertia post Pascha a primis vespere usque ad occasum solis festivitatis, et Dominicae hujusmodi in primo et ultimo die Novenae Nativitatis Dominicae et in una feria sexta Quadragesimae per Ordinarium semel designanda, atque in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum ab ortu usque ad occasum solis dierum vel feriae hujusmodi singulis annis devote visitaverint ibique ut supra oraverint, Plenariam. Iis vero eadem peragentibus in festivitibus Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis B. M. V. ac S. Joseph nec non in aliis septem diebus Novenae Dominicae, coeterisque feriis sextis Quadragesimae, ac reliquis diebus octidui omnium fidelium Defunctorum septem annorum totidemque Quadragenarum, praeter Indulgentias eorundem Canonico Ordini generaliter concessas. Iis autem, qui saltem corde contrito eandem Ecclesiam in reliquis feriis sextis totius anni visitaverint, ibique ut supra oraverint, Centum dierum. Omnibus quoque et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, qui Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum occasione Communionis generalis semel in mense peragenda in eadem Ecclesia sumpserint, ibique ut supra oraverint, in una festivitate vel die unius mensis quotannis arbitrio Episcopi designanda Plenariam; in alia vero festivitate vel die singulorum reliquorum undecim mensium, ut supra eligenda sep-

tem annorum totidemque Quadragenarum. Insuper confessis, ac S. Communionem refectis, qui Expositioni Venerabilis occasione exercitii Bonae Mortis in una festivitate, vel die cujuslibet mensis semel per Ordinarium designanda in praefata Ecclesia faciendae interfuerint, ibique ut supra oraverint, in una festivitate vel die unius Mensis per Ordinarium eligenda Plenariam, in aliis vero singulis undecim festivitibus, vel diebus septem annorum, totidemque Quadragenarum Indulgentiam. Quas etiam Animabus Fidelium Defunctorum per modum suffragii applicare valeant clementer concessit, atque indulsit. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam vel gratias absque ulla Brevis expeditione suffragari, harumque litterarum exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo ejusdem vel pro tempore existentis Episcopi Fesulani munitis, eandem adhiberi fidem quae adhiberetur his praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

HENRICUS CARD. PRO-PRAEFECT.

A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

CLXXIX.

Cum in concessionibus ab Apostolica Sede Sodalibus Archiconfraternitatis et Sodalitiorum Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti hactenus factis aliquam quidem esse Indulgentiam pro nonnullis specialiter expressis, non autem pro universis charitatis, seu pietatis operibus in forma singulis Confraternitatibus concedi solita generaliter animadversum fuerit; Ideo Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV hujusmodi Archiconfraternitatis et Confraternitatum Pietatem et Devotionem erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum confovere, et maxime augere cupiens, omnibus et singulis Confratribus et Consortibus Archiconfraternitatis et Confraternitatum ejusdem Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti canonice ubique locorum hactenus erectarum, et quocumque futuro tempore erigendarum, corde saltem contritis, quotiescumque Missis in Ecclesia seu Cappella vel Oratorio Archiconfraternitatis, vel Confraternitatum hujusmodi pro tempore celebrandis, seu Congregationibus publicis, vel pri-

vatis earundem Archiconfraternitatis vel Confraternitatum ubivis faciendis, vel quibuscumque Processionibus de licentia Ordinarii peragendis interfuerint; aut Pauperes hospitio susceperint vel pacem inter inimicos, aut dissidentes composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, vel si impediti Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tam in Processionibus, quam cum Infirmos aut alias quocumque et quomodocumque pro tempore deferretur comitari nequiverint, et Campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem et Salutationem easdem pro Animabus Defunctorum Confratrum et Consortorum hujusmodi recitaverint; aut devium aliquem ad viam salutis reducerint, vel ignorantes Dei Praecepta et ea quae ad salutem sunt docuerint, vel Infirmitate aut Carcere detentos visitaverint, aut aliquo spiritali seu temporali subsidio subvenerint; vel quodcumque aliud Pietatis vel Charitatis opus exercuerint, toties, pro quolibet praedictorum operum exercitio Centum dierum Indulgentiam in forma Ecclesiae consueta benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari. Datum die 11 Augusti 1749.

HENRICUS CARD. PRO-PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apost. Secret.

CLXXX.

Brevia sive Indulgentiarum sive Altarium privilegiatorum cum ut plurimum expediri soleant cum clausula. « *Si vero aliae similes Indulgentiae; (id est de privilegiis) eidem Ecclesiae aut Altari in ea sito sive perpetuo sive ad tempus nondum elapsam concessae reperiuntur praesentes nullae sint etc.* » in aliquibus Regionibus mos invaluit et praesertim ultra montes eadem Brevia Romam remittendi ante temporis in iis praefixi finem pro confirmatione obtinenda, quae revera impetratur ante ejusdem temporis lapsum, ex hujusmodi anticipata expeditione dubitarunt nonnulli de novorum Brevium subsistentia. Quare proposito his desuper dubio « *An vi clausulae - Si vero etc. - in*

Brevibus appositae nullae sint renovationes Indulgentiarum et Privilegiorum quae expediuntur ancte actualem expeditionem antiquarum in casu etc.? » Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 6 Septembris 1749 rescribendum esse censuit « Negative »

HENRICUS CARD. PRO-PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLXXXI.

Cum Episcopus Vicarius Apostolicus in Bosnia per suas litteras die 29 Julii 1748 ad Sac. Propagandae Fidei Congregationem datas, et ab Eadem ad Sac. Congregationem Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositam remissas, in iis Partibus, ubi Tabellae Indulgentiarum libere exponi nequeunt Indulgentias viva voce Populo annunciari, eodemque tempore solitam quaestionem commendari retulerint; et metuens hac de causa irritas fieri Indulgentias ob Clausulam « *Volumus autem ut si pro interpretatione praesentatione admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur praesentes nullae sint* » in Brevibus apponi solitam pro opportuna declaratione supplicaverit. Ideo propositis his desuper dubiis - Primo « *An dicta clausula - volumus - obstet recomendationi Eleemosinae factae, in annunciatione Indulgentiarum?* » et quatenus affirmative - Secundo « *An liceat fieri quaestuationem et liberam eleemosinae oblationem juxta antiquam Patriae consuetudinem nullo habito respectu ad Indulgentias diebus festis tempore Missarum, et aliorum functionum?* » Eadem Sacra Congregatio Indulgentiarum et SS. Reliquiarum habita die 6 Septembris 1749 respondendum esse censuit « Ad utrumque, solitas quaestuationes esse permittendas et populum simul instruendum easdem eleemosinas non esse intuitu Indulgentiarum impertiendas.

HENRICUS CARD. PRO-PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLXXXII.

Cum durante anno universalis Jubilaei omnes fere Indulgentiae sive Plenariae, sive Partiales suspendi soleant vel suspensae remaneant, credunt nonnulli tempus quoque in Brevibus apponi consuetum suspendi. Ideoque proposito his desuper dubio « *An in Septennio vel alio breviori vel longiori tempore in Brevibus Indulgentiarum praescribi solito computetur annus universalis Jubilaei?* » Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 6 Septembris 1749 respondendum esse censuit « Affirmative ».

HENRICUS CARD. PRO-PRAEF.

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLXXXIII.

TOLETANA

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV piis serenissimae Mariae Barbarae Catholicae Hispaniarum Reginae precibus Sibi per subscriptum Eminentissimum et Reverendissimum D. D. Cardinalem Sac. Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum Praefectum Fr. Joachim Portocarrero apud Sanctam Sedem Regnorum et Statuum Serenissimi Regis Catholici Protectorem Regisque Negotiis praepositum porrectis, quibus enixe supplicatum fuit ut quamdam Thecam ex Sac. Reliquiis Sanctorum prout in singulos anni dies illorum Natalitia seu festivitates occurrunt, ditatam ac authenticis litteris rite munitam et ab ipso Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali eidem Serenissimae Reginae Catholicae dono datam, ad divini cultus incrementum, et ad confovendam erga Beatissimam Virginem Mariam Immaculatam et reliquos Sanctos Catholicorum Regum et Principum devotionem liberali coelestium Indulgentiarum munerum dispensatione condecorare dignaretur benigne inclinatus die 28 Septembris 1749 ex speciali gratia Serenissimis Ferdinando Sexto Hispaniarum Regi Catholico, eidemque Mariae Barbarae Reginae Oratrici, ac Serenissimis ipsorum utriusque sexus Filiis, Fratri-

bus, eorumque uxoribus, sororibus, caeterisque singulis utriusque sexus Regiae Catholicae Hispaniarum Domus Principibus nunc et in posterum quocumque tempore existentibus, vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, qui quocumque anni festo vel die ante praefatam Sacrarum Reliquiarum Thecam pro pace et Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo festo vel die id egerint Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem semel quolibet anni die vel festo per unumquemque ipsorum lucrificandam; Iis vero diebus, quibus corde tantum contriti fuerint quinque annorum totidemque Quadragenarum Indulgentiam semel pariter in diem acquirendam, quam etiam animabus Fidelium Defunctorum per modum suffragii applicare valeant in perpetuum benigne concessit, atque indulisit. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLXXXIV.

ORDINIS S. PAULI PRIMI EREMITAE

Ad humillimas preces Fr. Francisci Kovachich, moderni Fratrum Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitae Procuratoris Generalis, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV volens omnes et singulas Ecclesias ejusdem Ordinis in Urbe et extra Italiam dumtaxat ubique erectas vel in posterum erigendas in quibus Altare ad tempus nondum elapsum privilegio decoratum forsitan existit, quod per praesens decretum Apostolica Auctoritate revocavit, ac iisdem singulis situm Altare a respectivo Locorum Ordinario semel designandum, hoc speciali dono illustrare, ut quandocumque Sacerdos aliquis Saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, aut Instituti Regularis, Missam pro anima cujuscumque Christifidelis quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit ad Altare praefatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam con-

sequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a Purgatorii poenis liberetur benigne concessit, atque indulisit. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae die 22 Novembris Anno 1749.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLXXXV.

ORDINIS S. PAULI PRIMI EREMITAE

Ad humillimas preces Fr. Francisci Kovachich moderni FFr. Ordinis S. Pauli Primi Eremitae Procuratoris Generalis, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV clementer indulisit, ut omnes et singulae Missae quae pro anima cujuscumque Fratris Presbyteri, Clerici, vel Laici Ordinis ejusmodi, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, in cujusque obitu, vel alia die juxta ipsorum Constitutiones celebrari solent, ad quodlibet Altare cujuscumque Ecclesiae ejusdem Ordinis, tam erectae, quam in posterum erigendae celebrabuntur, animae hujusmodi, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad Altare Privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 22 Novembris 1749.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLXXXVI.

Sanctissimus Dominus Noster Bulla cujus est initium « *Cum nos etc.* » nuper edita super Indulgentiarum suspensione reservavit ne dum Altarium privilegia verum etiam coeteras Indulgentias pro Vivis concessas, dummodo pro Defunctis applicentur ut sequentia verba denotant « *Item salvis et firmis remanentibus Indulgentiis Altarium privilegiatorum pro Fidelibus Defunctis aliisque eodem*

modo pro solis ipsis Defunctis concessis; atque etiam aliis quibuscumque Indulgentiis et Peccatorum remissionibus alias pro vivis concessis ad effectum dumtaxat, ut Christifideles illas animabus Fidelium Defunctorum quae Deo in Charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii directe applicare valeant; quas omnes et singulas licet pro eo quod respicit Vivorum favorem, hoc Jubilaei anno durante, generaliter ut infra suspensas ad praedictum tamen effectum ipsius anni decursu etiamsi in earum concessionibus hujusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse concedimus et indulgemus.

Hinc quaeritur

1.^m An Bulla « Cum nos » intelligenda sit pro Indulgentiis tam concessis quam post ejusdem Bullae Datam, ac durante anno Jubilaei concedendis? et quatenus affirmative.

2.^m An attenda clausula « Praesentibus absoluto anno Jubilaei ad Septennium etc. valituris », quae in Brevibus anni Jubilaei apponitur publicanda sit aliqua declaratio?

Sac. Congregatio die 16 Decembris 1749 respondit « Satis provisum per Bullam Sanctissimi Domini Nostri ».

CLXXXVII.

Cum Sancta Tridentina Synodus super Episcoporum facultate circa Reliquias decreverit (Sess. 25 cap. de Reliquiis) « Non esse recipiendas novas Reliquias nisi recognoscente et approbante Episcopo » quaeritur:

1.^m An unusquisque Episcopus extra Romam sua in Dioecesi quascumque Sacras Reliquias (Nulla excepta v. g. particula de Ligno Sanctissimae Crucis, particula S. Sebastiani) valeat authenticare?

2.^m An Sacrae Reliquiae a quodam Episcopo in Italia authenticatae (si ex parte subscriptionis, sigilli, et Theca nulla erroris, aut falsitatis nota deprehendatur) ab altero Episcopo

ultra montes possint reprobari, quin et confiscari, vel impediri, ne publicae venerationi exponantur?

Sac. Congregatio die 16 Decembris 1749 respondit

Ad 1.^m Affirmative ad formam Concilii.

Ad 2.^m Affirmative ad formam ut supra.

CLXXXVIII.

MONIALIUM S. URSULAE

Proposito Dubio a Monialibus S. Ursulae excitato utrum fruerentur Indulgentiis Ordini Eremitarum S. Augustini concessis, Sacra ista Congregatio die 12 Januarii 1677 rescripsit « Indulgentiis praedictis Moniales perfrui posse » hinc iterum quaeritur:

1.^m An Moniales S. Ursulae fruantur Indulgentiis concessis ac concedendis Ordini Eremitarum S. Augustini? et quatenus affirmative.

2.^m An praefatas Indulgentias consequi possint omnes visitantes illarum Ecclesias in suis respectivis festivitibus?

Sac. Congregatio die 16 Decembris 1749 respondit

Ad 1.^m Affirmative.

Ad 2.^m Affirmative exceptis sex festivitibus in quibus impertitur Benedictio Papalis pro Monialibus tantum valitura.

CLXXXIX.

URBIS ET ORBIS

Cum S. Sedes peculiaribus privilegiis, ac gratis de Se benemerentibus prosequi soleat, nuper simplici Apostolico Rescripto Altaris privilegium omnibus quorundam Regularium Ecclesiis concessit, nulla prorsus apposita clausula restrictiva, vel praeservativa, aut irritante aliud simile privilegium pro omnibus iisdem Ecclesiis jam obtentum; at nonnulli in dubium revocantes, utrum re vera adhuc subsistente priori privilegio, posterius vigeat, vel utrumque potius sustineatur, nec ne? factus est locus dubiis - Primo « An hujusmodi privilegium etiam cum expressione primi, sed sine ejusdem revocatione obtentum subsistat? et quatenus affirmative » Secundo « An intelligatur revocatum

